Quaestio Cardinalitia agitanda In Scholis Medicorum die Mercurii 27° Junii.

hugone Babinet Moderatore.

An Arthritis Solis Topicis Profliganda?

Causa Arthritidis duae: Articuli imbecillitas à corrupto potissimum parentum semine, vel non raro victu immodica, quamlibet actionem infestante contracta; et humor à natura alienus, qui nec semper pituitosus non est, vel serosus, sed plerumque sanguineus vel biliosus humoribus mixtus: Ista non semper è capite (cuius dolor in solis membranis non existit) sub cute decurrit: sed per vasa è toto corpore aut aliqua eius parte in articulos procumbit. Haec si [illegible] hereditaria fuerit, vix tamen vitari potest. Immedicata quae in topicis emollientibus ac digerentibus curari solitos jam occaluit prope insanabilis. Coli dolores, alvi profluvium, diuturnos morbos saepe consequitur, cruditate augetur, crassa colluvie perficitur, mulieribus ut rarior, sic crudelior et difficilior.

Arthritis etsi articulorum omnium dolores à fluxione ortos comprehendit, ab Hippocrate tamen, podagra, et chiragra distinguitur; non enim unius solius articuli, sed multorum affectio est, quae quo plures articulos occupat, eo brevior: à pollice pedis crebrius incipiens, inde in reliquos articulos sensim aut confestim grassata, partibus vim motricem (nunquam otiosam) non intercipit. quae autem ab exiguo, sed acri humore provenit, per [illegible] frequentissima est. Nam quae copiosae fluxionis est soboles vere magis excitatur, et autumno, [illegible] circuitibus, tumores comites habens succis redundantibus congruentes, aegrumque nonnunquam postridie occidit praeeunte febre acuta et delirio.

At Coxendix reliquis articulorum morbis vehementior, maxime si ad inguina pertineat, curatuque difficilior nisi à sanguinis copia sit, tum enim vena secta in malleolo aut cubito vel dextro citissime profligatur. Cum borum dolorem quem praenuntium habet, initio ementitur: sine tumore (quo saepe vehementior est) velut quibusdam aculeis in profundo pungit, vincula, membranas et partes nervosas humore putrescente infarctas, nunc ad ima tantum nunc ad summum usque, pedem fatigans, cui si mature provideatur, femoris tabem, claudicationemque, adurens sola sectione, non Guaiaci aut similium hydragogorum potione praecavendas, quibus ut ad absumenda excrementa vis est maxima, ita ad exorbendum humorem primigenium plurima.

Podagra quemadmodum et Chiragra otiosis praesertim insidiatur et senibus: quod ut alii affectus à fluxione ad mortem usque comitatur. Eunuchis, pueris, ac mulieribus nostro saeculo minime parcit. Intemperantibus obrepit, non expectata, et sic quod famis vegetis ad cacochymos cibos adoptis [illegible] Illa atrocior et febre frigidior pedes, haec febre calidior manus infestat. Utraque, arthritidis praenuncia inflammatio juncta, quae sedata si intra quadraginta dies non conquiescit, diutissime (maxime hyeme) perdistit.

In sic arthritide curanda scopi sunt vacuatio et roboratio, illa quidem revellendo venae sectione, vomitione, clystere, cucurbitulis. Repellendo admotis initio frigidis et astringentibus praecavendo in Hippocrate; proprie vacuando sanguinis missione, catapotiis, aliisque catharticis, primum lenioribus, mox insignioribus, digerendo denique, fumentis, et admotis quibus pars affecta roboratur spatii mittenti interim consolidando. Dolor item qui calorem et ruborem parti non inducit, anodynis lenientibus interdum narcoticis. Hos tamen articulorum affectus facile effugiet ille, qui ineunte vere, et autumno, et caeteris temporibus per intervalla sibi vacuatione probaque diaeta providerit.

Non ergo Arthritis Solis topicis profliganda.

Ponebat Martinus Girard Carnotensis. 1565.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE